

cum hac una majorem notabiliter convolvat, hujus convolutæ denticulus malleolum sensim attollat tandemque subito dimittat, atque adeò is proprio pondere in vicinam campanulam delapsus sonitu edito adstantium aures de humiditatis in aere notabili augmento commonefaciat. Aliam postea huic simillimam structuram exhibet, quæ pulsa campanæ siccitatis incrementa designet, ita sc. hîc applicato pondere, ut laxatâ, per incrementem siccitatem aeris, chordâ quam rotula minor sibi circumvolvitur, majoris denticulus iterum super extremitatem malleoli detrusus hunc attollat, tandemque lapsui suo committat.

Monet denique, multiplicatis rotarum denticulis, ita rem geri posse ut, pro majore vel minore aeris humiditate vel siccitate, campanulæ pluries pulsentur, atque sic diversi quoque illarum qualitatum gradus auditui innotescant.

AD PHÆNOM. VI.

Multum extollit hujus avenacæ aristæ vim & sensum quasi humiditatis ac siccitatis tenerrimum SINCLARUS, in ea non pauca inesse, dicens, *divina sapientia illustra & præclara documenta, quibus erudiamur, nihil in hac rerum universitate contineri, tam spretum & despectum, cui non supremum omnium rerum opificem, indelebilem suæ peritiæ characterem impressisse videamus*: Fatetur admirandum in hominis fabrica partium ordinem, sensuum usum mirificum, & speciatim tactus toto corpore æqualiter diffusi vim percipiendi omnes ictus ac nimios frigoris calorisve appulsus; nullius tamen animalis vel acutissimum sensum tenuissimæ huic creaturæ in aeris humiditate & siccitate percipienda æquiparandum putat. Sed monet paulò post in aristis ad hunc usum deligendis peculiare quoddam discrimen esse habendum, non enim omnes ex æquo, HygroscoPIO fabricando esse aptas & idoneas, sed esse quoddam genus avenarum, quarum sunt culmi aliis multo longiores & densiores, ex quibus ferantur grana grandiora & nigriora, quas vulgo appellant *avenas agrestes*: Ex his, frugibus ad maturitatem proVectis, præstantissimas ob longitudinem & fortitudinem colligi, quo enim sunt longiores & fortiores, eo sæpius ipsas commoveri. De cætero specialiora quædam hîc annotat circa effectus hujus HygroscoPII, quæ propriæ experientiæ Lectoris nostri committenda hîc paucis comprehendemus. Ait igitur 1. Cùm intra noslex vel quinque passus ad ignem accessisset, indicem HygroscoPII lentè cœpisse moveri, cùm propius, etiam velociùs; cum non pluribus quatuor vel tribus pedibus ab igne distaret, magnâ festinatione contortum esse, & quidem interdum quatuor absolutis revolutionibus, prout longior aut brevior fuisset. 2. Ubi ad summum ferè siccitatis gradum pervenerit, convolvi desinentem aristam acutum cernentibus artificiosissimè, instar testudinis chordæ contortam videri; postquam verò, illapsâ in ipsam aquæ guttulâ per revolutiones contra-